HR 3771.


Thorbernus Nicolai Rip.,
In honorem Nuptiarum
Matthiæ Lagonis
&
Mariæ, Johannis Langij filiæ.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3771 4° (LN 1199)




Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3771 4° (LN 1199)

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3771 4° (LN 1199)



Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3771 4° (LN 1199)



Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3771 4° (LN 1199)



Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3771 4° (LN 1199)

DA BOX

= L. N. 1199.

M

BIBLIOTHECA REGIA HAFNIENSIS

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3771 4° (LN 1199)

ΓΑΜΗΛΙΟΝ

In honorem Nuptiarum

INTEGERRIMI, ET PLVRIMO RERVM VSV CONSPICVI IVVENIS

Mathiæ Lagonis Ripenſis: Spectatiſsimi, & inprimis probati viri, Lagonis Stephani, olim Senatoris Reipub: Ripenſis, filij.

&

PVDICISS: VIRGINIS, NATALIVM, VIRtutum, & formæ laude præſtantiſsimæ, Mariæ ſponſæ. Peritiſsimi viri, Iohannis Langij Senatoris de Repub: Flensburgenſi optimè meriti, filiæ.

Celebratarum Flensburgi 24. Auguſt: 1572.

SCRIPTVM HAF: A Thorberno Nicolao Ripenſi.

F. E. L. M. D.



Hafniæ,

IMPRESSIT LAVRENtius Benedicti,

1572.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3771 4° (LN 1199)

CLARISSIMO VIRO PIETATE, SAPIENTIA, AC VIRTVTE PRÆſtanti, D. M. IOHANNI LAGONI Diœceſeos Rip: Superintendenti fideliſsimo, Domino & patrono, reuerenter colendo.

PRæſul Lagonides rerum venerande ſacrarum,
Salue, qui patriæ es gloria prima meæ.
Accipe quæ ferimus tenui munuſcula cultu,
Vnica, quæ poſsum mittere, mitto lubens.
Accipe pacato tenuiſsima carmina vultu,
Nam tibi (non dubito) candor amicus ineſt.
Cætera deficiunt, manet officioſa voluntas:
Hoc, ſi non aliud, ſemper habeto mei.
Viue igitur fœlix, præſul digniſsime, donec
Suſtentat mundi pondera vterq́; polus.

MATH: LAG: SPONSO,
εὖ διάγειν.

Grata mente tibi carmen rude muſula mittit
Tu tamen & tenerum ne deſpice ſponſe poëtam,
Carmina qui tenuis tenui meditatus auena,
Vt potuit cecinit, non vt ceciniſse decebat.

Thorb: Ni: Rip:
Veſt: Præſt:
obſequens & addictiſs:

BIBLIOTHECA REGIA HAFNIENSIS

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3771 4° (LN 1199)

SVblimem trinæ qui maieſtatis honorem
Occupat, & magno nunc maximus omnia nutu
Temperat, ac rutilum diſpandit in æthere cœlum
Syderibus pictum, qui tractu nubis aquoſæ
Cæruleum lætis dimittit frugibus imbrem:

Qui mare, qui Cœlum, terras ac regna gubernat,
Cunctipotens Deus hic iugalis fœdera lecti
Primum fundauit (quod pagina ſacra fatetur)
Stelliferum poſtquam conuexo pondere cœlum
Nutans, Atlantis firmauit vertice duri.
Tandem naſcenti exoritur Sol igneus orbi,
Tempora prima noui veris patefacta renident,
Terra ferax floret gemmanteis picta per herbas,
Labitur vnda fluens & amœnis addita campis,
Inde ſitim ſedant armenta, hinc pabula quærunt.

Lucida continuo Sapientis fulget imago
Archetypi, excellens opus ex tellure creatum
Solus homo, exuperans animantia cætera cuncta,
Illius egregio tantum decus emicat ortu.

Intuitus fixis oculis hoc plaſma creator
Dixit: fœmineam thalami iungamus oportet
Conſortem, ſociamq́ viri, comitemq́ laborum.
Haud mora mox Dominus coſtam de carne mariti
Exeruit, placidoq́ oppreſſit membra ſopore,
Extemplo niue candidior virgo emicat Eua,
Pulchrior & nitido lucentis ſydere cœli.

Hanc vbi conſpexit, mox talia rettulit Adam:
Dignius haud vidi, nec tali munere maius,
Eſt caro grata mea de carne, vocanda virago.

Sed, quia flagrantis dexter modus eſſet amoris,
Ipſe panomphæus, claro qui regnat Olympo,
Pneumate mox ſacro ſacros inſtillat amores,
Caſti cacta thori dein' vincula ſanxit, & inquit:

Copula vos dulcis teneat, vos nexibus idem
Firmet amor conſtans, vna duo viuite carne.

Pregnatiua parit veluti iam gramina tellus,
Et vitis læto protrudit palmite gemmas,
Vſibus humanis vel quælibet herba vireſcit,
Atq; meo iuſsu fructus fert florida tellus,
Agmine ſic florente per incæptos hymenæos,
Filiolis vigeant & veſtra cubilia blandis,
Dixit, & is pariter verba eſt perfecta locutus,
Dicta fides ſequitur, frondentis palmitis inſtar
Tum patulum ſoboles impleuit amænula mundum,
Nec ceſsauit amor ſua ſpicula mittere blandus,
Sed rapit huc animos hominum, nunc diſtrahit illuc
In partes varias, hinc prima exordia ſumpſit.
Ergo coniugij Deus ipſe eſt fautor, & auſpex,
Maxima nunc illi debetur gratia, namq;
Author, is in propria re fautor & ipſe manebit.
Hinc diffuſa Dei bonitatis ſplendet imago,
Illinc immenſa & præſtans Sapientia prodit:
Quod mirum fœdus diuino numine factum,
Teſtatur noſtras animas ſic nubere Chriſto
Sponſo, qui ſponſæ propria cum morte ſalutem
Quæſiuit roſeo fundens cum ſanguine vitam.
Penſitet hoc fœdus pia mens penetralibus imis,
Monte velut cliuo deſcendens ſaxea moles
Syſiphia reuoluta manu verſatur & errat,
Hinc atq; hinc veluti voluuntur flatibus vndæ.
Quos non delectat tantarum gloria rerum,
Hi pœnas iuſtas poſt triſtia fata ſubibunt.
Aſt inſanus amor non talia commoda curat,
Quippe ſtatum hunc ſpernit petulans laſciuia, donec
Ad ſtygias reuocetur aquas, myſteria tanta
Turpiter irriſit, digna eſt hæc pœna merenti.
Eheu quàm denſis ſunt pectora plena tenebris,
Turpia cum veneris iaculatur tela cupido,
Mox properant cæcis (quod turpe eſt) cedere flammis.
Eheu quàm ſubitò Plutonis ad oſtia tranant,
Terribileſq; domos, & ſqualida tartara captant.

Sic perit impurus, ridendæ inſania famæ
Poſt mortem remanet, ſequitur deſcenſus auerni.
Fortunate magis coniunx mihi tu ſapis, ah quid
Dulcius eſt quàm, cum ſocia, vel coniuge vita?
Quid gratum magis eſſe poteſt? cui credere tuto
Quæ mordent animum poteris, nam corda prementes
Hæc abigit curas, dubijs ſolatia rebus
Præſtat, qua fretus tranquillæ gaudia mentis
Sentis ſecurus, laterią; eſt iuncta virago.

AD SPONSVM MATHIAM.

TV fœlix igitur MATHIA & dignus honore,
Qui caſtam gaudes, cum coniuge ducere vitam,
Gaudebunt Muſæ lætos tibi reddere cantus,
Molliculis tangent digitis cytharáſą; ſonoras.
Diſcedat veſana Venus, tibi caſtus Apollo,
Caſti coniugij dulces narrabit amores,
Dum tibi ſubmiſſa modulatur carmina voce.
Sponſe, Deus ſociam tibi iungit moribus aptam,
Cum qua contingant placidiſſima gaudia mentis,
Coniugiją; decus tranquilla per otia caſti.
Quid memorem ſponſæ celebri de ſtirpe parentes,
Inclyta de quorum meritis Flensburga fatetur,
Dotibus hanc ſtirpem proprijs quoą; ſponſa pudica
Auget, nam cupidè diuini dogmata verbi
Corde ſuo verſat, vitam moreſą; gubernans
Ad verbi canonem, ſtudio pietatis honeſto.
Nec moror, vt formæ percurram carmine laudes,
Virgo flaua comas, flauo eſt ſpecioſior auro,
Floridiorą; roſa, qua nil formoſius vſquam,
Te quando alloquitur, placidis arridet ocellis,
Te recreat veluti venientis ſibilus auſtri.
Ergo tuam ſponſam vero complectitor igne,
Illa tuos etenim cum te ſibi iunxit, amores
Abſtulit: eſt animæ pars & redamanda viciſſim,
Te ſimùl abſentem recolens auditą;, videtą;.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3771 4° (LN 1199)

Ante ſed emanent ſicca tellure paludes,
Vel metat hic iuncos, vbi pallent meſſibus agri,
Agricola, aut curſum flectant vaga flumina retro,
Quàm tua de ſponſæ labatur pectore virtus.
Ante diem ſi non truncabunt ſtamina parcæ,
Conſpicies natos, & qui naſcentur ab illis.
Vtq; tumet dulci frondens viticula baccho
Menſæ delitijs: Sic vitibus æmula coniunx
Legitimum chara thalamum tua prole beabit.

AD SPONSAM MARIAM.

TV quoq; ſponſa tuum redama de corde maritum,
In quo reſplendet ſolers prudentia rerum:
Si genus ille ſuum iactet, laudeſq; ſuorum,
Quas non delebit longæui temporis ætas,
Nec minus eſt patrio, ac materno ſanguine clarus,
Nam ſtirps in patria vix clarior extitit vrbe.
Hanc gnati decorant virtute, & moribus aucti,
Inter quos meritò celeberrimus arte IOHANNES
Qui Superintendens Ripis digniſſimus, atq;
Communis patriæ decus eſt, ac gloria noſtræ,
Et decus omne ſuis, nomen poſt fata manebit,
Intonſi iuga montis aper dum deuia quæret,
Et dum ſole nouo terram conſperget Eous,
Et donec volucres mulcebunt æthera cantu:
Hic ego, ſi laudem reliquos ex ordine fratres,
Eximiumq; genus, præconia laudibus addam.
Fortuna ergo pares, ætate, & ſanguine claro,
Ambo præſtantes virtute ac moribus aucti,
Viuite nunc pariter longæui Neſthoris annos,
Viuite Thitonis longiſſima tempora cani,
Fœcundetq; thorum Deus, vnanimiſq; voluntas,
Pax, pietas, concors amor, ac concordia creſcant.

Ad Viduam matrem ELIZABETHAM.

VT gemit amiſſo turtur ſibi compare caſtus,
ELIZABETHA diu, ſic funera mœſta mariti
Fle-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3771 4° (LN 1199)

Fleuiſti : vixit factis, & nomine claro,
(Sit mihi fas audita loqui, quod credere fas eſt,)
Longinquis regnis, hinc vſq; ad ſydera notus.
Quid deſerta doles ? animum in contraria verte,
Gaudia percipito, lugubrem ponito veſtem,
En ſibi conſortem, vita & virtute probatum
Filia delegit, ſolenni more ſacrorum
Iam tibi præclarum generum, propriumq; dicauit,
Qui tibi, quiq; tuis ſolatia maxima gnatis
Præſtet, ne dubites, erit experientia teſtis.
Nec gnatam ficta, nec te dulcedine fallet,
Dans ſine mente ſonos, iactans ſine pondere verba,
Sacra ſed in dubijs aderit velut ancora rebus.
Si patrum exemplis componere noſtra licebit,
Relligio quorum noſtros permanſit in annos :
Haud ſecus hîc agitur iuuenis quam tempore IACOB
Quem (cum ſeruitium cura vehemente peregit)
In generum Laban delegit, eiq; locauit,
Gnatas, nempe Liam caſtam, pulchramq; Rachelem.
Conſimili hunc iuuenem ratione, (vbi tempore longo
Præſtitit officium multiſq;, tibiq; fidele)
Delectum generum ſtatuis nunc, auſpice Chriſto,
Cum gnata ad thalami ſacrum ſolenne vocare.
Eſt iuuenis (matura virum quem reddidit ætas)
Cui pietas cordi eſt, mentiq; eſt inſita virtus.
Qualis erat Iacob, thalami cum fœdus iniret,
Diſpoſuit Dominus cui tunc ſociala iura,
Nunc Deus eſt idem diuino numine præſens,
Ne te pœniteat facti, nec fœderis vnquam.
Tu gratare nouo Sponſo, gratare tibiq;
Et gnatæ, gnatiſq; tuis, fortuna tenore
Aſpirat vobis dextro vultuq; ſereno.
Nam ſibi dum iungit clariſsima filia ſponſum,
Qui genere inſignis, magniſq; parentibus ortus,
Ipſa tuum geminat genus, atq; extollit honore.

VO-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3771 4° (LN 1199)

VOTVM CONNVBIALE
Græcolatinum.

Quod ſupereſt precibus, cœli terræq́; monarcha,
Et te CHRISTE λόγος *viuens per vota rogamus:*
Vt ſacro ſancto fortunes numine tædas,
Da ſponſo & ſponſæ cœleſtis gaudia vitæ,
In paradiſiaco nemore vt potiantur honore,
Teq́; Deum verum concordi pectore noſcant.

Εὐχωλῆς δ' ἡμῶμ, Θεὸς ὀβριμόεργος ἀκούοι,
Νύμφῳ σὺν νύμφῃ τὰ λειριόεντα διδοίη,
χάρματα, καὶ δὴ τοῖσιμ ἀγαλλόμενοι διαπαντός,
καὶ μετὰ τὸμ θάνατομ δ' ἔρχοντ' ἐς χαλκοβατὲς δῶ
ξύνον χάρμα φέροισεν ἀειθαλέος παραδείσου
ὄφρά σε γινώσκωσι θεὸν σὺν ὁμόφρονι δεσμῷ.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3771 4° (LN 1199)

3771.

3/4

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 3771 4° (LN 1199)